



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

XXI. Qualiter hæredes, tertiique possessores obligentur census suorum  
prædecessorum recognoscere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

quomodo creditor aliquem illorum ab obligatione ipsi solvendi liberaret, quod facere potest, tum indirecte nihil ab eo exigendo, tum directe remittendo illi passivæ executionis obligationem; non ubique censuarius ad quem pecunia pervenit liberatur ab obligatione quam habet, vel cum aliis censuarius concurrat pro rata ad solutionem. Nam cum dicta liberatio non sit census donatio, & remissio, sed remissio personalis executionis, nec prodest ea liberatio aliis censuarius, nec tollit ab ipso liberato obligationem comparatione aliorum sociorum. Secus esset dicendum, si non solum personalem obligationem remississet, sed debitum ipsum, nam eo remisso omnes liberantur cum eisdem debiti rei sint, sicuti liberantur si ab uno censuario pensio soluta esset. Et secundum hanc Doctrinam explicari debent quæ hæc tradit Felician, 2. p. de censib. lib. 3. c. 2. n. 6. & seq.

6 Duplex tamen est difficultas. Prima An si creditor non gratis, sed pro pecunia hanc fecerit remissionem, ea liberatio aliis censuariis prodest, & creditori nocet? Affirmat Felician. 2. p. de censib. 3. cap. 2. num. fin. Auendaño cap. 94. num. 16. quia ea pecunia receptio cum sit propter causam census debet in sortem, vel pensiones decursas computari, alias inique reciperetur. Sed non caret difficultate hæc resolutio, quia illa pecunia non formaliter ob causam census recipitur, sed ob exemptionem ab executione personali concessam, quam liberæ creditor facere poterat, & propter pecuniam ea potest esse privata.

7 Altera difficultas est, An ex receptione partis debiti, quæ vni ex debitoribus competit inducatur divisio debiti, neque possint solidum conveniri? Cui difficultati brevitè respondeo ex præcisa solutione partis debiti, illiusque receptione non inducitur divisio, sed adhuc pro residuo ipse, & alij debitores conveniri possunt. *leg. si ex toto. §. 1. ff. de legatis 1.* Secus esset si exprimeret se illam partem solvere, quia ea tantum sibi competit, & creditor solutionem sic factam acceptavit quin processus fuerit quod per eam solutionem sibi præiudicium non fieret quoad solvi obligationem, nam eo casu præsumitur velle ne in solidum ea vice conveniatur. iuxta *leg. si creditor. Cod. de pactis* & docuit Felician. 2. p. lib. 3. de censib. cap. 2. numer. 3. & 4.

Notaret dixi illa vice, nam pro pensionibus futuris nequaquam ex ea solutione divisio debiti admittenda est, quia solidi obligatio quo ad sortem persisterat. Vt ex Decio, & Alciato rectè probat Felician. *loc. cit.* Neque enim præsumi potest creditor velle in tantum sibi præiudicare. Satis namque est præsumere voluisse obligationem quoad pensiones decursas remississe, quia præsumatur remississe obligationem solidi quoad pensiones decurrendas.

PUNCTUM XXI.

Qualiter hæredes tertique possessores obligentur censum suorum prædecessorum recognoscere

- 1 Distinguitur in sententia Pij V. & secundum ius naturale.
- 2 Quæ sit obligatio in creditore ut possit cogere hæredem ad census recognitionem?
- 3 Probata a defuncti obligatione tenetur hæres recognoscere.
- 4 Item solvere decursas pensiones.
- 5 Ex recognitione simpli non esse gravandos hæredes, & successores recognoscens affirmat Auendaño.
- 6 Contrarium plures docuerunt, & qualiter intelligatur.
- 7 Si vendens fundum censui subiectum hæres ad solutionem obligatur.
- 8 Quid si fatearis censum ex pecunia recepta Titio debere.
- 9 V usufructuario competit census recognitio.
- 10 Temperant aliqui in usufructuario rei certis.

1 Si vera esset sententia censum mere personalem valide constitutum non posse, vti fatendum est in locis ubi Bulla Pij V. recepta est conuenitur hæredem rem censui subiectam non possidentem obligatum non esse ad census recognitionem, quia comparatione illius census non est, neque esse potest. At si vera est sententia quam superius altruimus in prelo iure nature censum constitui in persona posse, eo quod vniquisque valet vendere obligationem solvendi annuam præstationem pro pecunia recepta, hic censum recognoverit, nisi de errore recognitionis docuerit, obligatus est censu ac si à principio suscepisset, quia ea recognitione cum effectu præstat.

2 Ex eo autem quod defunctus annuam præstationem solverit, non cogitur hæres illius censum recognoscere, præsumi enim potest fuisse obsequium vitalitium, quod ad successores non transmittitur. Quocirca vti hæredem creditor cogere ad recognoscendum possit tenetur probare defunctum suis bonis pro se fuisse hæredibus cum obligationem

suscipisse. Quod regulariter nunquam contingit nisi solutioni aliqua bona speciali hypothecæ subiecta, ac proinde nisi probet bona solutioni census hypothecata fuisse nullatenus cogendus est hæres ad census recognitionem. Quia census non tam ex successione, quam ex possessione bonorum quæ census solutioni addicta sunt procedit. Nec refert defunctum sæpius annuos redditus soluisse credentem suis bonis eam obligationem annexam esse, nisi simul de annexione constet, vel tanto tempore solutiones multiplicatè probentur, ut locus præscripti detur. Nam cum hæc obligatio census odiosa sit inducenda non est absque manifestissima probatione.

3 Probato autem defunctum obligationem habuisse perpetuam ad solvendum censum hæres obligatus est recognoscere, quia magni refert creditori ea recognitio. Quod intelligendum est cum adversus illum proceditur actioe personali, nam si hypothecaria procedatur electionem habet approbandi censum, vel dimittendi hypothecam, vti probavit Felician. lib. 3. de censib. cap. 6. numer. 2. Quod idem est in tertio hypothecarum possessore.

4 Facta vero recognitione ab hærede, seu tertio possessore decursas omnes pensiones solvere obligatur, nisi forte ex negligentia creditoris soluta non fuerint. *leg. imperatores. ff. de publicanis, & vici galib.* & alius congestis à Feliciano supra, & 2. p. lib. 3. cap. ult. num. 1. Auendaño cap. 99. num. 4. Sed an hæc recognitio præiudicet non solum recognoscens, sed omnibus aliis qui ab eo causam habuerint? Variant Doctores. Nam Auendaño cap. 99. de censib. num. 5. & seq. censet ex sola recognitione simpliciter non gravandos esse hæredes & successores, nisi simul de titulo census, illiusque electione probatio facta fuerit. Nam cum census absque causa constitui non possit, ea census recognitio nulla erit.

5 Nihilominus Guido Papa, Guillelm. Alciat. Rebuff. Padilla, Valac. Foller. Bursat. Achilles Pedroch. quos referens sequitur Felician. 1. & 2. p. lib. 3. de censib. cap. fin. numer. 4. docuerunt eam recognitionem hæredibus, & successoribus præiudicare, quia perinde est ac si census ab ipso recognoscens constitueretur. Quod censu intelligendum, cum recognoscens animum haberet censum constituendi casu quo constitutus non esset. At si eo animo caret (vbi semper præsumi debet) ex præcisa recognitione census, nisi simul de titulo constet gravari hæredes non debeat. Nam per illam recognitionem non intendit recognoscens novum censum constituit, sed debitum, & constitutum recognoscere. Ergo hærede, & successore probante constitutum non esse cessabit census, & nulla erit cognitio vtpote in errore fundata. Interim autem quod id probatum non fuerit successor gravabitur, quia ea recognitio vni legitimæ probationis habet.

6 Ad idem est si vendens fundum exprimens esse censui subiectum, eo ipso emptor ad solutionem obligatur; occasione enim illius oneris vilius vendis, & in partem pretij computas obligationem quam emptor solvendi census suscipit. Oportet autem ut ea confessio aliis circumstantiis adiuvetur quæ censum fundo esse annexum demonstrant, ut emptor compelli possit ad census solutionem. Vt pluribus comprobavit Felician. 2. p. de censib. lib. 3. cap. ult. num. 4. Auendaño d. c. 99. n. 10. in fine.

7 Sed quid si fatearis annuum redditum Titio debere subdens, quia ab illo pecuniam accepisti? Respondet Felician. 2. p. de censib. lib. 3. cap. fin. num. 6. te vti que successorem obiecte possit non solutionem, nec pecunie numerationem. Nam cum census secundum sui naturam primordiale constitui non possit absque actuali pecunie numeratione, & hæc insufficienter probetur tui confessione nequis tu vti que successores ad solutionem census compelli.

8 Ceterum verius censu, ubi Bulla Pij V. recepta non est te vti que successores ex prædicta confessione gravari, neque posse obiecte numerationis defectum. Quod præxi obtentura esse docuit Francisc. Milanea. *decis. 6. regni Sicilia. num. 24. lib. 2. Mascard. tonclul. 1319. & 361. n. 4. Moeur.* quia satis probabile est, ut videbimus ad census constitutionem non esse opus præsentem numerationem. Tum quia illa confessio sufficiens est numerationis probatio. Tum quia nullibi cavetur numerationi rennuntari non posse. Tum quia non conceditur censuali contractui, sicuti in mutuo opponere exceptionem non numerate pecunie. Et quidem si iuramento firmaveris pecuniam recepisse ipse Felician. concedit sufficienter censum probatum esse.

9 Superest tamen questio, An hæredi, an usufructuario competat census recognitio? Quæ in re communis est sententia usufructuarium omnium bonorum possessorem primogenij, maritum, prælatum, tutorem & curatorem obligatum esse censum annexum bonis quorum habet usufructum recognoscere. Nam esto obligatus non sit ad æris alieni solutionem, quia non ipse, sed hæres personam defuncti repræsentat; at tamen ad annuam præstationem vtpote bonorum possessor tenetur, & conveniri potest iuxta *leg. finalem. in autam. Cod. de bonis qua liberis.* vbi Bald. Salicet. Fulgosi.

Fulgos. Paul. & Corneus Couarruu. lib. 2. var. cap. 2. num. 7. Michael Grassus recepat. sentent. tract. de success. ex testam. quam ab intestato. §. legatum quis. 36. numer. 2. Achilles Pedrocha conf. 7. numer. 123. quos refert & sequitur Felician. 2. part. de censib. lib. 3. cap. ult. numer. 4. Auendaño. de censib. cap. 99. num. 11. Neque effugiet prædictam recognitionem, & census solutionem nominato hæredes, quia non hæres, sed ipse solutioni census affectus sit. Ut bene tradiderunt Panormitan. cap. quantum frequenter. §. in aigo ut lite non contestata, numero 23. Marian Socin. ibi numero 112. Excipe nisi ex solutione annui redditus usufructus rediretur inutilis, quia eo casu dominus conueniendus erit. Ut bene Achilles Pedrocha d. conf. 7. num. 123. & Felician. n. 4. §. quare solutio aduertunt.

10 Si autem rei certæ usufructuarius fuerit existimat Achilles Pedrocha numero 130. quem refert, & sequitur Felician. d. cap. fin. numero 4. non esse obligatum recognoscere census, quia non est obligatus ad illius annuam præstationem. Neque obest inquit Felician. usufructuarius teneri ad onera realia. leg. hærenus. ff. de usufructu. quia census non est onus reale hypothecæ annexum, sed personale personæ inhærens. Et quamuis onus reale esset, decisio d. leg. hærenus non procedit oneribus debitis ex priuata conuentione ex Pinello leg. 1. Cod. de bonis matern. 2. part. num. 70. vers. limitantur quinto. Sed merito contrarium docuit Auendaño de censib. cap. 99. numer. 11. Nam esse ex vi usufructus, & ex contractu censuali non teneatur usufructuarius ad recognitionem census, illiusque solutionem, tenetur tamen quatenus est possessor rei censui subiectæ. Ea enim est natura hypothecæ censualis, vt possidentem astringat ad census solutionem, & recognitionem. Vnde probanda non est Feliciani sententia quod possit usufructuarius conuentus hypothecaria actione, vt recognoscat, & soluat, effugere iudicium nominato proprietario. Nam cum obligatio soluendi census non proprietarium, sed bonorum possessorem primo & per se astringant, nequit usufructuarius hæc a se obligationem exuere.

PUNCTVM XXII.

De pretio ad constitutionem census requisito.

§. I.

Quodnam sit legitimum pretium census?

- 1 Cum pretium non est lege taxatum consuetudini prouincia standum est.
- 2 In censu seruatiuo non est opus pretij designatione.
- 3 Si huic censui ad das pactum pro certo pretio redimendi, non indiget seruare legem regionis de pretio census.
- 4 Si fundum super quo censum seruatiuum constituitur intendebas, & pretio censum constituit, negant plures legem regiam esse seruandam.
- 5 Alij affirmant.
- 6 Approbatur hæc sententia.
- 7 Pro censu consignatiuo perpetuo non est lex regia necessaria seruanda.
- 8 Quodnam sit pretium census redimibilis ex lege regiae?
- 9 Quid de censu vitalitio?
- 10 Supradicta intelliguntur de censu sano non periculoso.

1 Si pretium census lege fuerit constitutum nemini est dubium obseruandum esse, cum de iustitia legis necessario præsumi debeat. Si autem pretium nulla fuerit lege designatum variant Doctores, quod censendum sit legitimum pretium, quorum sententias refert Andreas Fachinæus libro 2. controuers. iuris. capite 43. Ex illis ea mihi videtur probabilior quæ assentit illud legitimum censendum, quod prouinciæ consuetudine, & communi hominum æstimatione fuerit approbatum iuxta leg. pretia verum ff. Ad leg. falcidiam. sicuti tradit Couarruu. lib. 3. var. cap. 9. numer. 5. Quod si id non appareat, credo illud pretium legitimum esse earum pensionum quæ verosimiliter proueniunt ex fundo, qui illo pretio emeretur. Vt placuit Ioann. Bapt. Lupo in leg. 2. Cod. de pact. inter emptor & venditor. comment. 2. §. 2. numer. 79. Menochio conf. 445. numer. 12. lib. 5. Nauarr. comment. de iur. numero 86. Fachinæo dicto libro 2. controuers. capite 45. vbi in fine aduertit. Si censui pactum redimendi addatur posse minoris erit, quam æstimationem pensiones quæ ex fundo empto percipi possunt, quia pactum illud rei æstimationem diminuit, vt de se constat, & probat Couarruu. dict. lib. 3. var. cap. 10. Roland. à Valle conf. 96. num. 38. His positis,

2 Vt clarius Doctrina eluceat expendamus sigillatim cuiuscumque census in particulari pretium. Et quidem census seruatiuus pretium proprie non habet, quia rei dona-

tionem sub pensionis reservatione constituitur; sed quia ea rei donatio instar pretij reputari debet, siquidem ea comparatus pensionem exigendi, & illius obligationem in censuario soluendi, oportet vt onus illius pensionis non excedat rei æstimationem, alioquin ea parte iniustus esset contractus. Censebitur autem non excedere rei datæ æstimationem, quando ea pensio, & non maior exigitur, qua pretio in censum datæ constitui possit. Vide Greg. Lop. leg. regia 28. tit. 8. part. 5. gloss. verbo aconfos. Auendaño de censib. Hispan. cap. 29. per totum.

Quod si huic censui ad das pactum pro certo pretio redimendi existimat Auendaño d. cap. 29. num. 12. pretio illo seruandam esse legem regiam 6. censibus redimibilibus pretium constituentem, quia videtur pretio illo census constitui. Verum multo est nullam obligationem esse seruandi legem regiam in hoc casu. Sicuti docuerunt Ioann. Gutier. 2. part. tract. quest. 172. num. 6. Felician. de censib. lib. 2. cap. 1. num. 6. Felician. de censib. lib. 2. cap. 1. num. 35. Etenim lex regia loquitur de constitutione census, vt constat ex illis verbis. No le puda vender, ni constituir iuros ni censos algunos de al quita a menos pretio de à rason de catorce mil marauedis ca. da millar. Ergo loquitur lex de censu, quæ pretio constituitur super bonis ipsius censuarij, non de censu constituto ex bonis censualitæ venditis, & in æstimatione. Ergo nulla est obligatio seruandi legem regiam, sed naturalem qua astringitur censualitæ, ne maiorem pensionem exigat, quam tamen æstimatio rei censitæ, cuiusque fructum. Fateor tamen obseruata hæc lege naturali obseruaturam legem regiam, cum videatur inhium pretium naturale attigisse.

Sed quid si fundum, super quo censum reservatione constituitur intendebas Titio vendas, & pro pretio illius census constitutas, obligarissime in hac constituto legem regiam statuentem pretium census consignatiui obseruare? Vana sunt sententia. Nam Cassianus in consuetudinib. Burgund. Rub. 11. §. 4. gloss. penult. in addit. Mexia in leg. regia de los terminos in 2. fundam. 2. part. numero 18. & sequenti. censent locum non esse, vel quia ille census non est emptiui, sed seruatiuus, vel quia lex loquitur de censu constituto ex pecunia numerata, non de censu constituto ex pretio rei venditæ.

Beontra Ludouic. Velazq. de Auendaño tract. de censib. cap. 30. num. 5. credit non solum seruandum esse pretium legale census emptiui redimibilis, sed necessario augendum, ita vt si pretium legale sit vnus pro quatuordecim, census hic ad rationem vnus pro 16. vel 20. constitui debet. Ducitur variis rationibus, quæ ad hanc vniam reducantur. Pretium huic census vt pote ex re immobili proueniens naturale est, & non legale, at pretium legale latitudinem suscipit medijs supremi, & infimi. Ergo nequit ex illo census consignatiuus constitui, vt pote qui pretium indiuiduum, & determinatum habeat.

Cæterum omnino dicendum est in hac constitutione census seruandam esse legem regiam taxantem pretium census consignatiui redimibilis, neque opus esse pretium addere. Sicuti perdoctè docuerunt Olanos in autonomia iur. 5. verbo anni redditus. numer. 101. Ignatius Lazare de decima vendit. & permittat. cap. 10. num. 71. Ioann. Gutier. tract. quest. 172. num. 3. Felician. lib. 2. de censib. c. 1. n. 31. Nam in hac constitutione census duo contractus reperitur distincti. Primus est venditionis rei censui supponenda, quam supponimus iusto pretio vendi, & consequenter vel supremo, vel medio, vel infimo naturali. Secundus est quo ex pretio illo determinato emittitur census, perinde ac si pecunia numerata emeretur. Ad cuius emptionem impetientes est quod pretium naturalem latitudinem habeat, nam census nõ emittit ex pretio latitudinem habentem, sed ex pretio determinato quod datum fuit pro re censui supponenda. Præterquam quod ipse Auendaño admittit, si emanat census ad rationem vnus pro quatuordecim comparatione infimi pretij naturalis rei immobilis hypothecandæ licitam esse emptionem, quia diminui non potest. Ergo etiam licita erit, tamen emittitur census ad rationem vnus pro quatuordecim comparatione pretij supremi, quia hoc pretium etiam iustissimum est, & semel constitutum diminui non potest.

Si vero de censu consignatiuo perpetuo loquamur iure Nostro regio testatur Felician. lib. 2. de censib. c. 1. numero 36. definitum non esse, sed consuetudini esse standum quæ videtur esse vt ad rationem vnus pro triginta pensio pretium soluat. argum. Textus Aurb. de ecclesiast. titulis. §. fin. autem. Sed Gaspar. Roder. lib. 1. de annuis reddit. q. 6. num. 11. assente leg. regiam. 7. r. 15. lib. 5. noue col. pretium census ad vnus pro viginti à Philippo II. statutum esse; nam licet pro Gallicis, & Asturibus fuerit lex hæc sancita, ad omnes eius ratio decidendi extenditur. Etenim iusta pensio iudicanda est in Hispania, quæ collectam annis 20. pretio adæquat. Cæteris postquam pretium census redimibilis nouiter actum est ad vnus pro 20. vt statim dicemus censu Feliciani sententiam verior-